



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

De mistis caui, & plani speculi operationibus. Cap. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

**N**ARRABIMVS mistas vtriusque speculi operationes, & utilitates, vt quod per se solum vnumquodque præstare non valuerat, mutua ope se adiuuent. Si velimus

*Speculis plano & concauo longe ignem accendere,*  
Accidit aliquando, vt quis carceribus oclusus indigeat igne, nec ibi Solis radius illuminat; vel ænei tormenti puluerem sine igne accendere, vel cuniculis effossis, & pyrio puluere repletis ad eruendas arces, vel rupes longe sine periculo incendere possimus plano speculo. Planum speculum Solis radijs parallelis vt recipit, ita deflectit, vnde satis longe æquidistantes radios iaculabit, qui si concauo speculo recipiuntur, adeo illos vnit, vt accendant. Vnde factò prius periculo, quo loco concauum situari debet, vt iniectum fomitem accendat, sequentis diei hora eodem plano speculo radios immittat, speculo concauo vniendos. Sic sine periculo & hostium suspitione, ignem ad vsum accèdere poterimus. Nec inutilis erit vsus

*Plano & concauo speculis vt minima litera, maxima videantur.*

Quando characteres ita erunt minimi, vt characteres esse noscantur. Vidimus enim Euangelium Diui Ioannis: In principio &c. in loco descriptum, vt vix minimam lenticulam, vel galli oculum occuparet, hoc artificio faciemus, vt magnè videantur, & sine difficultate legantur. Appone concauum speculum tuo pectori vt dorsum pectori hæreat, è regione intra punctum incensionis oppone scriptum, retro pone planum speculum, vt tuis oculis subiaceat. Tunc in plano speculo reflectentur characterum imagines, quæ in concauo sunt, quas concauum magnas reddiderat, vnde sine difficultate leges. Eueniet

*Speculis plano, & concauo imaginem in aere pendulam omni ex parte conspiciere,* Quod

Quod fiet hoc pacto. Diximus concaui speculi ope posse imaginem extrorsum mitti, idque à quopiam non percipitur, nisi è regione fuerit. Adhæreat suo pectori concauum, extra centrum oppone pugionem, atq; longius recedendo illi speculum planum oppone, in quo respiciens, imaginem à concauo reflexam in aere pendulam videbit quisque, atq; omni ex parte. Quod si ingeniosus perceperit, & longe extra missam imaginem, vt docuimus, plano receptam sine speculo concauo, & spectabili visione, mire rem in plano pendulam videri licebit. Poteris &

*Speculo plano obuersam faciem representare.*

Vbi prædicto modo speculum suo pectori admotum habueris, obiecta planū, & faciem illi repræsentam, quam concauo obijciet, quod obuersam reuerberabit plano, & voti spes compos.

*Alia speculi concaui operationes.*

C A P. VI.

PRiusquam ab eiusmodi speculi operationibus discadamus, quendam enarrabimus vsum, nō parum iucundum, & admirabilem, ex quo maxima Naturæ secreta nobis illucescere possunt. Veluti

*vt omnia in tenebris conspicias, quæ foris à Sole illustrantur cum suis coloribus.*

Cubiculi fenestras omnes claudas oportet, proderitq; si spiramenta quoque obturentur, ne lumen aliquod intro irrumpens, omne destruat: vnam tātum terebrato, & foramen palmare aperito palmaris longitudinis, & latitudinis, supra tabellam plumbeam, vel æneam accommodabis, & glutinabis, papyri soliditatis, in cuius medio foramen aperies, circulare digiti minimi magnitudine, è regione parietes albos vel papyrum, vel alba lintea appones. Sic à Sole foris illustrata omnia, & deambulantes per plateas, vti Antipodes spectabis: quæque dextra sinistra, commutataq; omnia videbuntur, & quo longius à foramine distabūt, tanto maiorem sibi adsciscunt formam. Si papyrum, vel albā tabulam appropinquabis, ea visuntur minora, clarioraque: ali-